

cum quis ad supplicium ducitur et quibus ad mortem damnatus post executionem spoliatur, solebant nimirum milites cadauera punitorum vestimentis exuere et denudare, de quo infra §. XXIX.

## XVII.

*Ita neque Speculatores.*

Speculatores hoc loco militum sunt genus, dicti ita a specula vel speculando, horum enim munus erat, ut, quod ait FESTVS, silentio hostilia perspicerent, et de rebus hostium ad suos referrent, quid percepissent siue e specula, siue in ipsis hostium castris, id quod VIRGILIUS L. IV. *Georgic.* eleganter expressit, ubi loquitur de iis apibus

*Quibus ad portas cecidit custodia forti*

*Inque vicem speculantur aquas et nubila coeli.*

Posterior aetas scultatores appellat, quasi auscultatores, prout eos vocat LEO PHILOSOPHVS nec non VEGETIVS 2. *Cap. 15. 17.* Dicuntur etiam spiculatores, uti legitur in Vulgata nec non in libris Florentinis, forte a spiculo, quia praeter gladium spicula vel lanceas gestasse videntur, ut patet ex SVETONIO in *Claudio: Neque conuiuia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, et in Galba: Descendentem Galbam speculator impulsu turbae lancea prope vulneravit.* Alibi speculatores dicuntur quoque carnifices, qui de damnato supplicium sumunt: sic Iulius FIRMICVS L. 8: c. 26. *Speculatores, inquit, faciet qui nudato gladio hominum amputant ceruices.* Hoc sensu etiam occurrit vocabulum illud in S. S. Euangelio D. MARC. *Cap. VI. vers. 27.* SVETONIUS quoque in *vita Ottonis cap. 5.* necem Galbae quinque speculatoribus commissam fuisse scribit et TACITVS L. I. *Histor.* Onomastum huic sceleri praepositum fuisse ait Agno Barbium Proculum Tesseranum speculatorem et Veturium Othonem eodem perductos, et POSSIDONIUS de *vita Cypriani.* *Cum venisset, inquit, in eum locum, qui dicitur sestertius exspoliavit se Hirro et tradidit carnificibus - - - Vero tradidit diaconis et stetit in linteis exspectans speculatorem.* SENECA Lib. I. de *Ira* de supplicio militis loquens, *Tunc centurio, ait, supplicio praepositus condere gladium speculatorem iubet.* IDEM L. III. de *benefic.* *Cap. 25. Speculatoribus occurrit: Nihil se deprecari quo minus imperata peragerent, dixit, et deinde ceruicem porrexit.* Speculatores quoque